



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Cantu & Scriptione. Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

De executione Clericorum in concionibus habendis. Cap. III.

Diebus festis, ac præterea ter saltè in hebdomada; in aduentu quoq; Illustrium virorum, conciones à Clericis in Cœnaculoè suggestu habeantur; omnesq; in hoc munere se exercent: Latinæ quoque orationes habeantur sapius, præsertim ab ijs, qui singulis annis Rhetoricæ studio operam dabunt.

Præfetus studiorum unicuique præscribat thema, de quo erit habenda concio, ac singulos sigillatim semper instruat, quæ ratione inuenire, disponere, & pronuciare debeant.

Atque initio quidem præscribatur tantum thema de virtute aliqua, aut vitio, aut aliqua propositio breuis ex sacra scriptura desumpta; Cum verò prouectiores fuerint, tunc etiam de Euangelij currentibus concionentur.

Qui propter prouectam ætatem, ingenij tarditatem, aut aliam quamuis causam, non multum in hoc assequi posse videbuntur, satis erit si eo vsque proficiant, vt ad altare, Parochorum more sermones habere possint, non admodum quidem artificiosè, sed ita tamen, vt ne quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiæ probatis alienum proferant, populumq; in via Domini salutariter erudiant.

Quapropter hi instituantur, vt initio quidem conciones ad verbum exarent, deinde verò capita tantum summa notent.

Neque verò hi vlllo modo verborum ornatum, sed tantum res ipsas confectentur, ac in ijs elaborent præcipuè, quæ ad mores pertinent; atque in hoc ita se exercent, vt diuturna consuetudine quasi roborati, possint diebus festis ad altare sermones habere, etiam si propter occupationes Parochiæ suæ, non ita sedulam per eos dies studijs operam nauare potuissent.

Itaque ijs pro themate, proponantur vt plurimum Euægelia, diebus solennibus, & festis totius anni occurrentia: in quibus curetur primò, vt sensum literalem teneant, tum aliqua documenta ad mores instituendos spectantia in prom-

ptu habeant.

Ex ijs omnibus, qui iudicio Reçtoris de consilio Præfeti studiorum magis idonei censebuntur, mittantur per vices sapius, omnino autem festis solennibus diebus, & in aduentu Illustrium virorù in Aedes Archiepiscopales, qui ad mensam Reuerendissimi Archiepiscopi vel latinè orent, vel Italicè concionentur, accommodatè ad diem festum, vel ad Euangelium, quod in sacro pronuciatum fuerit.

Neque verò quisquam conciones in Archiepiscopalibus edibus habeat, qui nò eas prius in Seminario recitauerit.

De Cantu & Scriptione. Cap. IIII.

Lectionem catus, qui firmus dicitur, omnes quotidie adeant; Qui verò a Reçtore de Consilio Magistri Musici idonei iudicati fuerint, etiam eius, qui figuratus appellatur: idque statim a prædio; & quidem à Solennitate Resurrectionis Domini nostri vsq; ad mensam Septembris, duarum horarum spatio; alijs verò temporibus horæ cum dimidia tantum.

Mædatur autem alicui ex poritioribus, vt prima elemèta tyronibus tradat; mox neantur que omnes, cum in posterum ordinis sacros suscepturi fuerint, etiam de peritia cantus sibi examen esse subeundum.

Omnes a Paschate Resurrectionis vsque ad Vacationes, singulis diebus duas horas dent, vt eleganter & graphicè pingere literas discant; ac primò quidè, tantum paulò in scribendo exercitationes a præceptore externo ad eam rem conducto instituantur; deinde ipsi vicissim alios doceant, vt a Reçtore constitutum fuerit.

De gubernatione temporali. Cap. V.

Omnes in vnum & eundem locum conueniant ad cibum capiendum: quia verò omnes vno & eodem tempore cibum sumere non poterunt, prima, & secunda extruetur mensa, vt qui primæ non possunt, secundæ accumbant mensæ.

Autæ